

**De faciei in nonnullis morbis mutationibus : dissertatio inauguralis medica, quam ... pro summis in medicina et chirurgia honoribus rite impetrandis die V. M. Decembris A. MDCCCXXIX ... / publice defendet auctor Isaacus Koppel, Guestphalo-Borussus.**

### **Contributors**

Koppel, Isaak, 1808-  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.

### **Publication/Creation**

Berolini : Typis Ferdinandi Nietack, [1829?]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/stuhxjqb>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Xo





Supp 57,433A



Meinem innigst geliebten Sohn  
Herrn Geheimrath Professor Dr. Nasse  
als Geschenk zu seiner Festschmuck  
Der Marburger Bau.



DE  
**FACIEI IN NONNULLIS  
MORBIS MUTATIONIBUS.**

~~~~~

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
UNIVERSITATE LITTERARIA  
FRIDERICA - GUILIELMA  
PRO SUMMIS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS  
RITE IMPETRANDIS  
*DIE V. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXIX.*

H. L. Q. S.  
*PUBLICE DEFENDET*  
AUCTOR  
**ISAACUS KOPPEL,**  
GUESTPHALO - BORUSSUS.

~~~~~

OPPONENTIBUS:  
*E. KEMPER. MED. ET CHIR. DD.*  
*H. MÜNNICH, MED. ET CHIR. DD.*  
*E. SCHLESINGER, MED ET CHIR. CAND.*

---

BEROLINI,  
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

# THE HISTORY OF THE REPUBLIC OF THE UNITED STATES

OF THE UNITED STATES OF AMERICA

FROM THE FOUNDATION OF THE NATION  
TO THE PRESENT TIME

BY JAMES M. SMITH

NEW YORK: PUBLISHED BY  
J. B. LIPPINCOTT & CO.

1877

THE HISTORY OF THE  
REPUBLIC OF THE UNITED STATES

OF THE UNITED STATES OF AMERICA

FROM THE FOUNDATION OF THE NATION  
TO THE PRESENT TIME

BY JAMES M. SMITH

NEW YORK: PUBLISHED BY  
J. B. LIPPINCOTT & CO.

1877

THE HISTORY OF THE  
REPUBLIC OF THE UNITED STATES

OF THE UNITED STATES OF AMERICA

FROM THE FOUNDATION OF THE NATION  
TO THE PRESENT TIME

BY JAMES M. SMITH

NEW YORK: PUBLISHED BY  
J. B. LIPPINCOTT & CO.

PARENTIBUS OPTIMIS DILECTISSIMIS

FILII GRATIA,



NEC NON

V I R O

PRAECLARISSIMO AESTIMATISSIMO

*A. H A I N D O R F,*

MED. DOCT. ATQUE PROF.

APUD MONASTERIENSES MEDICO PRACTICO, ET OBSTETRICIO,  
PLUR. SOCIETATT. LITT. SODALI

IUVENIS VENERATIO

HASCE LITERARUM PRIMITIAS

UTUT EXIGUAS SACRAS ESSE VULT.

Unica facies est, quae oculos omnium commovet,  
sollicitatque. Haec prima visum percellit, prima placet,  
hac sola supplices, hilares, tristes, erecti, summissi sumus;  
haec sexum, aetatem, stirpem, et totius temperiem notat.  
In hac salutis et mortis indicia manifesta lucent.

A. LAURENTI.



---

## INTRODUCTIO.

---

**D**isserturo mihi de re, quae tironi prae omnibus arrisit, notio prius evolvenda est fructus, impedimentorum, ac tramitum physiognomonices pathologicae. —

Sicuti facies, animi speculum, philosophis summum largitur fontem, cognoscendi hominem internum, ethicum, lulum affectuum animi, ita etiam praeclarissimum medico suppeditat ad eruendos corporis animique morbos adjumentum, dummodo penitiorem ejus scrutinio operam navet. — Facies nimirum lineamentis praedita mobilissimis, quae facile impressionibus externis morem gerunt, tennerrima gaudens compage, organorum sensuum seriem sibi invicem appropinquatam ostendens, intime summis vitae centris functionibusque nexa, vix non proxime harum mutationes persentiet ac prodet, maxime in morborum acutorum decursu. Quanti faciei observationem fecerint antiquioris aevi medici celeberrimi, hoc testatur Hippocrati-

cum istud: „in magnis malis facies si fuerit bona, bonum signum est; in parvis autem mala significans, malum etc.,” quod in morbis nonnisi malignis, ratione inter singula symptomata inversa stipatis, restrictionem sibi expostulat. Nec minorem faciei tribuere dignitatem clarissimi observatores Sydenhamius, Baglivius, Freindius, Meadius, Pr. Alpinus, Boerhavius, Lommius. Ex recentioribus medicis liceat mihi prae omnibus mentionem facere Zimmermanni 1), qui, τὰ σημειωτικά ex facie hausta cunctis aliis gravitate praevalere, persuasum sibi habebat, atque argutissimi scrutatoris Heimii, qui quantum circa Diagnosticen meritis sit, neminem fugit. Nemo ergo infitias ibit, maximos hucusque fructus ex physiognomonicè subtiliori in medicinam redundasse, ac fore, ut in posterum quoque ipsi contingant. —

Nihilominus ejus indagatio multis iisdemque haud spernendis premitur difficultatibus ac impedimentis; 1) Observati simulatione aut dissimulatione lineamentorum oris, ita ut a debita per animi corporisque morbos efficienda mutatione longe deflectant. Intentione summa in phaenomenorum ordinem et analysin lineamentorum hasce effugie-

---

1) Von der Erfahrung in der Arzneikunst, Zürich 1787, I. 1. cap. 8. pag. 407.



mus fraudes. — 2) Observatoris imaginatione debito majori. Hujus moderamen maturum, quo cum intellectu ad rationem congruentem constituatur, erroribus evitandis inserviet. — 3) Observandorum minus definita, nimis vaga indole, ut, quid velint, vix divinari possit; colorum fugacem dico transitum, maciem vitamve partium singularum, quibus ad naturam depingendis calamus aegre sufficit. Frequentius vero in his observandis exercitium hoc obstaculum superabit. — 4) Complicatione cum animi perturbationibus, quae genuinum morbi iconem obnubilat, et aliena ipsi superaddit, puta pavore, terrore, inquiete. Exactum psychologiae, ac physiognomonices sanorum, nec non expressionis diversorum animi affectuum studium, observatio pluries repetita aegroti, dum animum prae se fert compositum, medicum, ut in justa persistat via, gubernabunt. — 5) Praejudiciis observantis, quibus jam educatio obveniat, necesse est. —

Momenti gravioris in dijudicanda facie sunt: conformatio partium faciei congenita, ac gestuum vigor, praecipue musculorum lusus, oculique ictus. Ne autem morbo nimium tribuamus, semper in censum vocandus est vultus vigor animi perturbationibus solitis impressus, vitae generis momentum, colorisque secundum sexum, temperamentum, cli-



mata diversitas, nec minus est observandum, multas faciei mutationes, plerumque morbi satellites, inveniri saepe cum nulla vel leviori molestia nexas. Multum ergo interest nostra, hominem prius sanum novisse, atque cujusvis rei externae rationem habere, ne qua symptomatum bilingui fallamur indicio. — Omnibus simul aliis organorum systematumque singulorum phaenomenis invigilandum est huic, qui tenuitatis vitium evitare studet, cum nonnisi summa symptomatum passionem i. e. objectivam penitioris morbi naturae manifestationem exhibeat. —

---

---

## De morbis nervosis.

**H**orum signum maxime characteristicum est cunctorum symptomatum, praecipue autem faciei mutatio creberrima.

In hisce, qui ad Epilepsiam praedispositi sunt, habitus plerumque animadvertitur lusus, tumens, caesaries flava, oculi coerulei, vis vitalis ob telae cellulosae praevalentiam languor 1). Durante paroxysmo tegumenta capitis frontisque cutis motu peculiari agitantur, quo supercilia attolluntur, frons explicatur vel corrugatur; moventur caesaries, auresque; horrent capilli ac rigescunt 2). Facies saepe rubet, profunde tumentibus simul venis jugularibus, saepe pallet; obtutus est inquietus, obnubilatus, pupillae dilatatae. Corrugatores superciliarum contracti haec sibi invicem appropinquant, quod, si insuper addas comas rigi-

---

1) Most in Horns Archiv vom Januar 1826. p. 76.

2) Boerhave praelectiones academ. de morbis nervorum. Lugd. Batav. 1761. Vol. 2. p. 776-



das, vultum illi praebet minantem. Saepissime autem supercilia, palpebrae aliiue faciei muscoli distrahuntur convulsionibus, ita ut os clausum levem conformet sulcum porrectum, qui utrinque extenditur; labia tumefacta in medio prominentiam efficiunt 1), aut mire trementia in proboscidem acuminantur sphincterum contractione spasmodica 2). Haud raro spuma ductili copiosissima superfunduntur, quae etiam de genis defluit; nonnunquam livida nigraque apparent, quin etiam sicuti lingua sanguine irrorantur 3). Oris apertura horrendis musculorum actionibus quandoque ad aures usque diducitur, aut latissime hiat, ut claudinequeat, ac mandibulae luxatio oriatur 4). Oculi convulsionibus correpti, modo commorantur situ fere naturali, modo in diversas partes inclinant, strabismi tonici aut continuae circumductionis speciem prae se ferentes; videre licet et ipsos semiapertos, vel omniuo clausos 5). Interdum spuma sebacea fiunt turbidi, obnubilatique 6). Facies modo in risum componitur, modo in indignationem, quorum vicissitudo obtinet celerrima,

---

1) Portal sur l'Epilepsie. Paris 1827. pag. 137.

2) Boerh. l. c.

3) Portal l. c. p. 138.

4) Burser a Canilfeld Institutiones medico-practicae. ed. Hecker, Tom. III. §. 268.

5) Schmalz Versuch einer medizinisch-chirurgischen Diagnostik. Dresden u. Leipzig 1825. p. 34.

6) Burser. l. c.



fereque infinita, omnium affectuum iconem paulatim nobis offerens. Non desunt casus, ubi facies, prius torosa, dicto citius collabitur, atque illi pthi-sici consummati proxime accedit. Maxillarum di-ductionem, motumque spasticum comitatur saepe stridor dentium vehementissimus, qui, coronas eorum in millena frustula dissilire, efficit, ac lin-guam longissime ex oris hiatu prominentem, oris-que amictum internum violentissime laedit, ita ut haemorrhagia aegre sistatur 1). Caput rapidi-tate incredibili motus maxime insolitos exserere potest 2), ac saepe continuos gyros circumscribit, vel alternis antrorsum retrorsumque vi, cui resisti nequit, jaculatur. Saepe in uno alterove horum statuum defixum est, collumque maxime, marmo-ris ad instar, riget 3). — Paroxismo finito saepe-numero vidi, Epilepticos circumcirca oculorum ictus timidos, pudoris consternationisque plenos, aut stupidos vertere, quibus lassitudo totius cor-poris et actionum segnitias accedebant. — In Epi-lepsia inveterata saepe ptosis involuntaria palpe-brae superioris, levisque tumor inferioris una cum

---

2) Boerh. l. c. — Galen. de differentiis morborum cap. 8. — Turner art of surgery. — Forestus libri observationum, Obs. 66.

2) Tissot von den Nervenkrankheiten, übers. von Ackermann, Leipz. 1790. pars. VI.

3) Doussin-Dubreuil über die Epilepsie, Aus dem Franz, Mannheim 1799, p. 2.



musculorum faciei majori evolutione animadvertitur 1).

Myrmeciasi affecti faciem offerunt flavescentem, flaccidam, horribilem visu; labia spuma ductili cruentave superfunduntur 2). In paroxysmis spasmodum oculi in orbitam revoluti, strabismo affecti, pupula coarctata timendum quoddam praese ferunt. Palpebrae collapsae colore e fusco rubro circumscribuntur. Haud raro dentium stridor, trismusque apparet, dentes laedens, deliriisque blandis mussitans aegrotus multa eademque incongrua verba ore tristi penduloque fatur, externorum ratione neglecta. Postremo facies pallidamacie conficitur 3), rugis impletur, tempora collabuntur, oculi in orbitam recedunt, adipe circumdante orbat, lemosique fiunt, nasus frigidus acuminatur exsanguis, labia oris revoluta dentes denudant, aliaque faciei Hippocraticae signa mortem plerumque die morbi septimo consecuturam praenunciant. — In Myrmeciasi chronica oculi pupula coarctata aut omnino fere clausa, valde distortentur. Facies colore lurido imbuitur 4), aut rugosa, flava, saepe incana pavorem moeroremque portendit. Quandoque vero pupula maxime dilatata amauroticae propius accedit 5). —

---

1) Schmalz, l. c.

2) Bruck de Myrmeciasi dissert. Berolini 1824. p. 6.

3) Bruck l. c. p. 8. — Schmalz l. c. p. 34.

4) Sprengel Semiotik. §. 24.

5) Bruck l. c. p. 15.



Paroxysmis peractis singuli frequenter faciei musculi spasmis convelluntur, oculique, pupula praediti solito ampliori, diplopia aut visu argutiori affecti, solis splendorem aegre ferunt.

Ad delirium tremens dispositis facies colore livide atropurpureo imbuitur, coerulescit, praesertim mane, tumetque, haud raro maculis saturate rubris cupreisve scatens 1). Prodromus morbi pathognomonicus est mandibulae tremor, dentiumque stridor. Facies plerumque rubet tumetque, oculi rubore suffusi solito magis micant, vage circumvolvuntur, pupilla contracta lucem aversatur 2), et totus vultus summam prodit alacritatem. Durante accessu physiognomia aegroti peculiari modo decomposita ipsum sui ipsius dissimilem, faciemque a sani longe diversam reddit. Musculi, convulsionibus distorti, ut omnibus in lineamentis tremuli, convulsivi, deturpati aliquid vigeat, efficiunt. Oculi rotatione vaga agitantur, cujus in vices saepe rigor mortuorum ad instar succedit, oculis obtutu fixo in rem directis, spasmoque tonico ibidem demorantibus; ictus eorum vel torvus est, vel truculenter diversas in partes palatur 3). Maxilla inferior motu continuo contremiscit, dentes fren-

---

1) H. A. Goeden, über das Delirium tremens, Berlin, 1825, p. 36.

2) Renton in Frorieps Notizen vom July 1829, No. 529, p. 62.

3) Goeden l. c. p. 29.

dent, risusque apparet spasmodicus. Oris hiatus spuma obducitur 1). Saepe omnis vultus anxietate, inquiete, pavore ac stupiditate notatur 2).

Faciei color flavus, aut plumbeus luridusve hepatis, lienis, systematisque Portarum sympathiam prodit.

---

Hystericarum aliae habitum prae se ferunt cachecticum, pallidum, aliae florentem ac mira colorum teneritate atque lenitate praecellentem. Partes firmæ plerumque succulentæ, formæ rotundatæ pulchraeque, at mollissimæ et maxime laxæ apparent 3). Faciei physiognomia tristitiam aut desiderium denotat 4), orisque lineamentorum et coloris creberrimæ mutationes sibi succedunt, ut alia hora hilares, alia tristes, pallidæ, cingulis circa oculos lividis appareant, dum obtutus motu inquieto in diversas partes directus suspicionem et diffidentiam prodit. Paroxysmi prodromum exhibet rigor quidam et torvitas faciei, cujus in locum alternis torositas pastosa et laxitas insequitur 5). Durante spasmo facies pallescit et gelidam

---

1) Renton l. c.

2) Schmalz Diagn. p. 38.

3) Richter spez. Therapie, 7r Bd. Berlin, 1820. p. 427.

4) Beust in Haspers Thesaur. semiot. pathol. Vol. 1. Lipsiae, 1825. p. 429.

5) Most l. c. pag. 75.



visui se offert, aut in plethoricis colore atropurpureo imbitur; nonnunquam cadaverosa pallore inficitur, qui circa oculos ad colorem coeruleum, in genis nasoque ad flavescentem vergit. Frontis regionisque oculorum cutis vel tenditur, vel, etiam partibus subjacentibus spasmu affectis, corrugatur. Oculi, rima palpebrarum coarctata, spastice in orbitam retrahuntur. Nasus, cujus basis contrahitur, acuminatur. Labia turgore solito orbata complanantur et quasi arescunt; os cutis tensione universa extrorsum distortetur, ita ut ridentis physiognomiam referat 1). Facies, si morbus diutius persistit, extenuatur, ac languente musculorum vi senilior evadit 2). Interdum post paroxysmos frequentiores pastose aut oedematose tumet 3).

---

## Morbi psychici.

Nemo infitias ibit, horum aequae ac morborum infantium, clarissimum speculum faciem largiri, tanto majoris aestimandum, quanto pauciora nobis exstant signa subjectiva et anamnastica. Eorum observandorum frequentatio crebra Nosocomii psychiatrici Siegburgensis prope Bonam, maxime autem Nosocomii Caritatis Berolinensis, Directoris

---

1) Most. I. c. p. 74.

2) Ibid. p. 75.

3) Richter I. c.



Ill. Kluge et medici supremi Dr. Grossheim benevolentia mihi concessa, uberlorem ansam porrexit. Visorum accuratiori adumbrationi quam maximam navavi operam. Viris, qui me in exarando opusculo tam benigne adjuvarunt, summas habeo semperque habebo gratias. Lectorem autem, ut, quae obveniunt manca in laborum primitiis, indulgentiori lustret oculo, etiam atque etiam rogo.

Morborum psychicorum prima invasio, aut paroxysmorum reditus praecipue lineamentorum faciei mutatione notatur. Caput saepe elevatur, oculis in coelum defixis; loquitur aegrotus voce demissa, ambulatur, aut gressus subito sistit vultu meditationis profundae aut admirationis pleno. Saepe numero facies rubet, oculi scintillant, ac mente captus loquacitatem offert vix sustinendam; nonnunquam vultus pallet, decompositis lineamentis et obtutus ipsius incertus, disturbatus ebrietatis nimio spirituosorum haustu creatae imaginem prae se fert. Paulatim spasmus cunctis faciei musculis potitur, qui majorem ipsi vigorem largitur; ictus oculi torvus minitansque, nec non loquela, vocis sonus, gestus, affectus animi aut furoris coeci speciem habet 1).

Physiognomiam Amentiae maxime ex-

---

1) Pinel traité medico-philosophique sur l'Aliénation mentale. Edition. 2de Paris 1809. p. 70. — Danz, Allg. Zeichenlehre, bearbeitet von Heinroth. Lpz. 1812, p. 363.



pressam video in puero quodam in Caritatis Nosocomio vegetante. Caput, fronte praeditum prominente, vix non hydrocephalicum, laxè propendit, ut mentum sterno admoveatur. Facies, si cum cranio comparas, valde parva, flavescens, in luridum vergens colorem, macie confecta summam offert apathiam. Ad nasi radicem rugae plures verticales parallele dispositae videntur, et ab angulo, quem alae narium cum genis conformant, plica quaedam arcuata ad oris angulos mentumque acutum protenditur, ejus ad instar, quam plerumque in indignabundis animadvertimus. Palpebrae quasi paralyticae oculi maximam partem obtegentes, nonnisi, quando appellatur, dimoventur, et oculum in orbitam retrocedentem, vigoris expertum, turbidum, pupula praeditum ampla, spectandum praebent, qui, plerumque torpide in solum defixus, raro tantum e palpebris sursum luscitat, aut motu lentissimo in diversas partes vertitur, summum pavoris pudorisve indicium exhibens. Nasi radix perampla oculos magis extrorsum dimovet, quod peculiare aliquid faciei largitur. Genae turgore carentes laxè propendent, maxillamque solito latiore obtegunt. Os solito late hians salivam copiosiore ex angulis deorsum motis dimittit, labiaque mentum versus revoluta quicquid cibi aliisque externi absque ullo ulteriori respuitionis aut deglutationis molimine sibi ingeri sinunt. Quamcunque des corpori singulisve partibus directionem, in illa perseverat, ne ullum quidem ad mutandum statum conamen exhibens. Ra-



rissime nonnisi circa oris angulos levis subrisus ludit, probans, paululum etiam ipsum rebus externis percelli. Miserrimum hominis ad animalia propius accedentis exemplum!

Moria laborantem concionatorem vidi Siegburgi cum amicissimo Brückio. Vir iste voce enthusiastica, se nobis Evangelium praedicaturum esse, perhibebat. Frons, sursum tensa musculis, latissime palpebras dimovebat; oculi vivaciter circumvoluti, hilarissimi, summo splendore micabant, ictum mittentes pungentem, acutumque. Genae rubore saturato imbuebantur, ac os risus circumludebat ironicum inter hilaremque medius, quasi viri, qui maxime sublimi de se ipso opinione tenetur, alios contra minimi facit. Labiis ad vociferandum dimotis verba nobis clamabat, summo vigore prolocutus, etiamsi nugis scatentia. Omnis physiognomia alacritatis simulque superbiae clarissimam offerebat notam.

Melancholiam plane denotat figura viri cujusdam vesani, quem vidi in Caritatis Nosocomio triste incedentem, corpore curvato, brachiis in dorso decussatis. Capiti alioquin bene conformato caesaries nigerrimi coloris insidet. Facies saturate fusca plicas offert numerosas verticales e medio frontis, quibuscum aliae introrsum arcuatae arctissimeque sibi admotae connivent, ita ut supercilia densissima nigra ad nasi basin corrugentur, cujus dorsum rugae frequentissimae transversae decomponunt. Oculi, in orbitam retrocedentes, cingulis circumdati coeruleis, plerumque in terra



defixi, turbidi, lacrymantes pone palpebras semiclausas versantur et hominum taedium, moerorem summum produnt, ictusque eorum, in advenientem quemque directus, in diversas partes vagatur, haesitationem angoremque offerens, aut obtutu fixo demorans doloris notam summam vultui imprimit. Ab nasi alis sulcus profundus sicuti eorum, qui rei alicujus fastidio tenentur, ad oris angulos se demittit, labiaque morose propendentia fugax plicarum triangulus circumludit. — In aliis Melancholicis visui oblatis frons plicata, supercilia sibi admota, oculi lacrymantes, obtutus precans, labia antrorsum mota, arcte compressa, mentumque recedens summum angoris, nec non obtestationis praebebat iconem.

Maniae paroxysmos faciei rubor saturatus, oculorum splendor insolitus, inquietasque summa praecedit. Aegrotus gradibus magnis incedit, omnes corporis muscoli intenduntur, vasaque vehementissime pulsant. Corona capillata retrorsum ducta riget, frons ardens sursum tenditur, superciliaque corrugata, facies rubore suffusa, turgida, spasmis distorta, oculi prominentes, scintillantes, fulgura vibrantes, huc illucve moti, aut torve in re defixi, lacrymarum torrente superfusi, ictum mittentes minacem truculentum subdolumve, iracundi imaginem vix non referunt. Palpebrae rubent ac nititant non secus atque in lucis aversatione laborantibus. Alae narium fortiter undulantes respirationem acceleratam portendunt, dum basis ipsius coarctatur, apexque acuminatur. Labia, angulis



oris sursum motis aut diductis canum ringentium ad instar, spasmodice coaptantur, atque tument, aut late hiantia dentium series sibi admotas offerunt. Mentum, sursum distortis faciei musculis acute prominet. Omnia ferocitatem, iracundiam, ac voluntatem effrenatam, ceteris mentis facultatibus praedominantem spirant. Finito accessu facies turgore orbata, pallore magno infecta subsidet, lumina in orbitam recedunt, faciei que musculorum relaxatio majorem ipsi placiditatem largitur.

## Morbi cerebri.

Apoplexiam praenunciat oculorum rubor pertinax 1) et illacrymatio 2), ac tumor faciei palpebrarumque 3). Morbo affectus subito humi prosternitur ac membris solutis et prolabantibus somno profundo sepultum ac stertentem plane refert 4). Facies saepe rubore violaceo imbuta turget, saepe collapsa summo pallore inficitur. Oculi aut aperti languent, aut spasma convulsi clauduntur, aut spuma sebacea superfusi distorquentur. Palpebrae

---

1) K. Sprengel Semiotik. Halle 1801. §. 293.

2) Aretaeus de causis et signis morborum, L. 1. C. II. p. 40.

3) Portal sur l'Apoplexie. Paris 1811. p. 317.

4) Burserius Vol. III. §. 74,



globus oculi, supercilia, alaeque nasi haud raro motibus convulsivis agitantur, maxilla inferior sursum deorsumque mota ruminatiois speciem exhibet 1). Os hians spuma obtegitur. — Apoplexia sanguinea speciatim homines habitu apoplectico praeditos, qui corpore distinguuntur quadrato, brevi, toroso, capite amplo, collo brevi, facie saturate rubra, praediligit, ac prodromum habet tumorem ruboremque violaceum faciei, palpebrarum et oculorum, turgescientiam venarum. Physiognomia alienata stuporem prodit, oculi, pupulam exserentis rigidam dilatatam, obtutus vagus est 2), aut bulbus semiapertus riget, protuberatque ex orbita 3). Oris faciei que musculi convelluntur. — Apoplexiam nervosam tremor labii inferioris, oculorum distortio, pupillae coarctatio praecedit; stipatur accessus faciei collapsae frigidae pallore, oculis in orbitam recedentibus, nasoque acuminato 4). — In Apoplexia serosa facies, venis collapsis, pastose tumet ac pallet 5) aut coerulescit, luridove notatur colore, vigorisque expers oculi ictum offert turbidum ac somnolentum. — Apoplexia gastrica correptis oculi ac plicae cutis flavescent, dum facies

---

1) Bertin des maladies du coeur et des gros vaisseaux, Paris 1824. p. 290.

2) Schmalz Versuch einer medic. chir. Diagnostik. p. 44.

3) Burser. l. c. §. 51.

4) Schmalz. l. c.

5) Burser. l. c. — Schmalz. l. c.



cinnabaris ad instar rubet. — In fumo carbonum peremtis facies colorata, oculi lucidi, extremitates et mandibula flaccidae, ac cutis mollis calidaque apparent 1).

In Hydrocephali acuti infantium principio color faciei vivax diminuitur, oculorum splendor evanescit, muscoli relaxantur. Obtutus quasi profunde meditantis aut morosi est 2). Stadio inflammationi exordiente venae jugulares Carotidesque pulsant; facies pallida, cui regio oculorum quodammodo excavata, ac margine infraorbitali striis notata nigricantibus 3) valde controversatur, marcescit, aut oedemate affecta decomponitur 4), dum gena lateris affecti, aut utraque rubore circumscripto tingitur. Physiognomia deturpata, crebras mutationes subiens, timorem truculentiamve prodit, aut lineamentis frontis melancholicis, superciliisque corrugatis meditationem portendit. Oculi limpidi splendent scintillantque, aut torvi, lucisque aversatione, diplopia aut amblyopia affecti illacrymantur, ac violenter sursum trahuntur. Eorundem alter haud raro minoris voluminis videtur 5). Albuginea pallida inter exacer-

---

1) Portal; Histoire de l'Academie des Sciences an 1775.

2) Gölis von den vorzüglichsten Krankheiten des kindl. Alters. 1 Bd. Wien 1815. p. 17.

3) Schmalz. l. c. p. 17.

4) Gölis. l. c. p. 28.

5) Schmalz. l. c.



bationes nonnisi erubescit. Pupilla, fere semper contracta, interdum vero dilatata conspicitur 1). Somno durante oculi, in orbitam fere retracti, palpebris nonnisi partim obteguntur 2). Nonnunquam, dum somno gaudent aegroti, pupillae coarctatae sunt, et interdiu dilatantur 3). Oculi ictus, lineamenta oris, faciei color, gestusque plane mutati maxime morbum produnt 4). Nasus, cujus hiatus dilatantur, siccescit, labia rosea pallescunt, aut colore atropurpureo superfunduntur ac siccitate fere dissiliunt. Characteristicum signum est exanthema siccum subtilissimum ad labia nec non ad genas bracchiaque propullulans 5). Quodsi morbus tumultuose exorditur, maxillae perpetuo masticationis aut concrepationis motu agitantur. Cutis, prius tensa, colore tetro defoedatur, relaxatur, siccescit. Caput manu lateris, cni incumbunt

---

1) Hooper et Lettsom in Memoires of the Soc. of Lond. Vol. 1. No. 8. — Rush medical transactions of Philadelphia. I. 1. No. 10.

2) Raimann Handbuch der Therapie. 2 Bd. Wien 1826. p. 306.

3) Coindet Memoire sur l'hydrencephale. Paris 1817. p. 19.

4) Yeat's Darstellung der frühesten Symptome der Hirnwassersucht, aus dem Engl. Hannover 1817. — Odier medizinisch-chirurgische Abhandlung von der Wassersucht der Gehirnkammern. In der Sammlung auserl. Abhandl. Bd. 9. S. 325.

5) Golis. l. c. — v. Formey vermischte Schriften. Bd. 1. Berlin 1821. S. 185.



aegroti, fulcitur 1). — Transitum in exsudationem designat pupulae magis dilatatae mutatio, quae nihilominus luci fortiori adhuc morem gerit. Interdum alterius oculi pupilla altera amplior est 2). Oculorum, prius sensilitate nimia laborantium, erethismus ad anaesthesiae gradum majorem immutatur, ictus eorum luscitans deorsum dirigitur, aut penduli ad instar palatur. Late saepe palpebrarum rima hiat, et rursus arcte clauditur, quod vice alterna diutius repetitur, dum in facie distorta, nunc paululum coerulescente, severitas tenebricosa vigorque minax depingitur 3). Caput huc vel illuc vacillat, ac rotatur, quasi musculis nonnisi thoraci adnexum sit 4). Corpus macie extrema conficitur, sudoresque partiales erumpunt, donec paralysis stadium appareat, ubi facies modo horribili convulsionibus distorquetur, ac spasmus ad mortem tenus caput retrahens exoritur 5). Caput, saepe evidenter volumine adauctum 6), sudore frigido madet, ac in facie collapsa, plerumque maculis rubris conspersa, pallescente aut livesciente 7) rubor hecticus cum pallore marmoreo

---

1) Gölis. l. c. p. 43.

2) Coindet l. c. p. 18.

3) Gölis l. c. p. 48.

4) W. Maxwell in Edinburgh. Med. and Surgical Journal, July 1824.

5) Gölis. l. c. p. 48.

6) Bischof Grundsätze der prakt. Heilkunde. Prag 1825. 3 Bd. p. 11.

7) Coindet l. c. p. 30.



alternat. Palpebrae, paraplegia correptae, materie puriformi tenuiori conspurcantur, et oculos jam magis ex orbita procedentes, plerumque torve in re defixos, ad dimidium tantum obtegunt, ita ut album nonnisi denudetur. Albugineae vasa turgent; cornea muco oblecta, lemosa, obnubilatur, irisque nullam in lucem reactionem exserit, pupilla maxime dilatata, rarissime coarctata. Spasmo tandem musculorum cervicalium soluto aegrotus, modo horrifico distortis faciei musculis, emoritur.

In infantium morbis nervosis, praecipue autem morbis cerebri observatio pluries repetita animadvertit plicam quandam, musculis faciei cuti impressam, quae ab angulo oculi interno incipiens paululum sub osse zygomatico evanescit (Jadelottii linea ophthalmo-zygomatica 1).

---

## Morbi cordis.

In morbis cordis tumor ruborque faciei laetus, fugax, saepe pallore marmoreo ac frigore exceptus videtur, qui serius in colorem violaceum atrumve transit, aut saltem e coeruleo marmoratus vasculis cutis distincte turgentibus insulatimque dispo-

---

1) Frorieps Notizen August 1823. p. 92. Dezember p. 45. Conf. de Salle in Memoires de l'Academie roy. de Medecine, Juli 1823.



sitis notatur 1), praecipue circa nasum et labia. Saepe facies colore lurido, aut ex cinereo albo inficitur 2), aut collapsa regionem ophthalmicam flavescentem, musculosque spasmodice contractos offert 3). Omnis faciei qua elongatae physiognomia moerorem doloremque summum spirat. Oculi plerumque splendidi, vitrei, clauduntur, vel pupilla dilatata, sclerotica atrophice coerulescente vigorem vix describendum amabilem prae se ferunt; nec desunt casus, ubi sanguine suffusi quam maxime ex orbita prominent, ac rigent 4). Nasi apex, labia auresque colorem spectandum praebent ex rubro subnigrum. Seriori morborum stadio oculi pone palpebras oedemate affectas 5) minutissimi apparent; genae, labia, nasus lividi fiunt, facies tumet aqua suffusa. Haud raro autem hic tumor celerrime subsidet, ac pessimo omine hujus in locum macies eximia succedit, cutisque relaxata in quovis capitis motu tactuve vacillat 6). Visi sunt etiam casus, in quibus mox omne corpus emacescebat, ac palpebrarum margines colore

---

1) Schmalz l. c. p. 100.

2) Nasse in Horns Archiv vom July 1819, p. 83.

3) Corvisart Versuch über die Krankheiten des Herzens, Aus dem Franz. von Rinteln, Berlin 1814. p. 39.

4) W. Hunter in Medical Observ. and Inquir. Vol. VI. p. 309. — P. Peters disert. inaugural. de puero morbo coeruleo laborante, Kiliae 1822. 4.

5) F. L. Kreissig die Krankheiten des Herzens, systematisch bearbeitet, 1 Bd. Berlin 1814. p. 383.

6) Corvisart l. c. p. 156.



atrocyaneo conspergebantur 1). — In infantibus insuper linea labialis, ab angulo oris ad faciei partem inferiorem protensa, morbos cordis enunciat 2).

## Morbi pulmonum.

Facies Pneumonia laborantium torosa aut laete rubet 3), aut colore atropurpureo, livescitive superfunditur 4); genae calore quasi igneo ardent, venae colli temporumque turgent. Oculi, quorum albuginea flavescit, prominent 5), et morositatis malignitatisque speciem prae se ferunt 6). Palpebrae sanguinis impetu turgidae rubent, ac deorsum nutant, corneaque subpinguis apparet, pellicula unguinosa obfuscata 7). Narium alae vehementi motu agitantur. — Physiognomia omnino inquietem et morositatem prodit 8), quae

1) C. Perkins in Newyork Medical and Physical Journal, Bd. 2. p. 444.

2) de Salle l. c.

3) Coel. Aurelianus Acut. et Chronic. libri ed. Haller. Lausanne 1774. Vol. 1. p. 156. — Aretaeus l. c. p. 11.

4) Huxham Op. Tom. III. p. 167.

5) Burs. l. c. Vol. 4. p. 86.

6) Löbenstein Löbel l. c. §. 100.

7) Aret. lib. III. cap. 30. pag. 40.

8) Nisle l. c.

omnia symptomata facies magis latere affecto offert. In infantibus ac recens natis peculiaris faciei vigor manifestatur diductione pinnarum nasi externas partes versus, qua nares nisu quodam dilatari videntur, ac cingulis coeruleis oris angulos nasique pinnae ambeuntibus, qui vix non intercepto sanguinis circulo debentur; plicae frontis longe pauciores ac in abdominis morbis adsunt, nec deest linea nasalis mentalisque. Nonnunquam facies, sub finem praeprimis morbi, oedemate afficitur 1). — Morbo in pejus ruente facies pallescit ac decomponitur, nec non, maxime in pneumoniae malignis, anxietatem prodit 2); quodsi evenit, aut malae ad cerebrum metastasis, quam apoplexia insequitur, suspicionem movet 3), aut si huic accedit labiorum unguumque livor, frontis collique sudor frigidus viscidus, oculorum languor, illacrymatio et obfuscatio, narium obpilatio pulverulenta, pinnarum diductio 4), transitum in gangraenam enunciat. — Quando autem oculi tristes turbidique evadunt, lucem aversantur, palpebrae

1) Billiard die Krankheiten der Neugeborenen und Säuglinge, übersetzt von Meißner. Leipzig 1829. pag. 185 und 186.

2) Berends Vorlesungen über prakt. Arzneywissenschaft, herausgegeben von Sundelin. Berlin 1828. Theil 3. pag. 164.

3) P. Frank Epitome de curandis hominum morbis. Mannh. 1792. Lib. II. pag. 148.

4) Burs. l. c. Vol. 4. p. 187. — v. Swieten Commentarii. Wirceburgi 1787. Tom. V. p. 594.



tument inflammatione superficiali, glandulae Meibomii intumescunt ac viscidae apparent, conjunctiva squalet, evanescentibus reliquis inflammationis signis, remanente tussi, tunc pneumonia in indurationem transit 1). Suppurationis contra exitum prodit genarum jam emacrescentium rubor circumscriptus 2), dum cetera facies flavescit, faciei venae sanguine tument, oculi cavi fiunt, conjunctiva albissima apparet 3), cornea obnubilatur, Iris relaxata pupulam offert dilatatam, obtutus vigore caret, nasusque acutius prominet 4).

In Phthisi transeunt multi pulmonum morbi, si per longius temporis spatium perstiterunt. Qui ad hancce proni sunt, cute praediti sunt tenera, albida, molli, caesarie badia parca, oculis vividis plerumque coloris grisei coeruleive, genis laete rubentibus, aut modo ruborem, modo pallorem subitaneum prae se ferentibus. Dentes candidissimi, aut ex coeruleo albescentes, longi, pone labia rosea latent. Physiognomia grati ac teneri aliquid offert 5). Transitum in phthisin enunciat genarum rubor circumscriptus, qui iisdem arctis limi-

---

1) Löbenstein-Löbel l. c. §. 103.

2) Pr. Alpinus de praes. vita et morte aegrotant. Lib. VII. Venet. 1735. L. V. cap. VII. p. 208 et 209.

3) Aret. Lib. 1. cap. 10. pag. 39.

4) Löbenstein-Löbel tableau de la Semeiologie de Poeil traduit par Lobstein. Strasbourg 1818. §. 112.

5) Beust in Haspers Thesaur. nov. Semiot. pathol. p. 427.



tibus a rubore genarum Encephaliticorum distinguitur 1). Morbo evoluta facies pallida, flavescens venas per cutem teneram perlucens exserit, raroque tantum exacerbato morbo rubet 2). Haud raro rubor genarum persistens magis magisque crescit ex impedito sanguinis circulo 3). Oculi, antea interdum illacrymantes, tumentibus aut sanguine ecchymotice suffusis palpebris 4), nunc hylone livido circumdati in orbitam recedunt, vitrei, languidi, vigore orbati 5), saepe tamen expressione quasi coelesti notati, dum Sclerotica pulchre coeruleo-rulescit. Iris pupula dilatata tarde luci obedit 6). Conjunctiva pallet ac splendet exsanguis 7). Nasus pallidus acutius prominet. Labia retracta dentium quadantenus elongatorum candidorum 8) seriim denudant. In dies cutis laxior evadit et pergamenea, arida, livescens squalet rugisque obsidetur; corpus eximie gracilescit atque extenuatur,

---

1) Galen Prognosticor. II §. III. — Pr. Alpin l. c. L. V. Cap. VIII. pag. 219 et 220.

2) Conf. Nisle im Archiv für med. Erfahrung von Horn, Nasse u. Wagner, July u. August 1827.

3) Louis recherches anatomico-pathologiques sur la Phthisie. Paris 1823. p. 222.

4) Schmalz l. c. p. 106.

5) Most l. c. p. 85.

6) Loebenstein l. c. p. 85.

7) Ibid. §. 95.

8) Danz, Allg. Zeichenlehre, herausgegeben von Heinroth. p. 92.



ossa prominent, muscoli flaccescunt, temporibusque collapsis facies emaciatur, et tetrica labia pallida mucoque sordido oblecta exhibet. Sub finem morbi facies aqua suffusa tumet 1), colore inficitur lurido, deformi; oculi ictus languidus, timidus, tristis apparet 2), alae narium vehementer moventur, labia livent 3). Haec praesertim de phthisi exulcerata valent. In phthisi pituitosa contra jam exordiente morbo facies, pallore aequaliter diffuso infecta, physiognomiam frigidam et indifferentem visui offert. Nonnisi post tussim praegressam facies sanguine ad caput congesto colore tingitur, qui magis ex rubro subniger ac diffusus facillime ab rubore circumscripto laete coccineo phthiseos exulceratae distinguitur, ac huic Asthmaticorum tussientium proxime accedit 4).

---

## Morbi abdominis.

In morbis abdominis inflammatoriis facies, si abdomini premens digitus admovetur, doloris notam offert, musculique convelluntur. In-

---

1) Most l. c. p. 82.

2) v. Swieten l. c. Vol. IV. pag. 74 u. 75.

3) Conf. Nisle l. c.

4) Most, l. c. pag. 82.

fantibus tali modo affectis linea quaedam ab alis narium ad oris angulos porrigitur (Jadelotii linea nasalis) 1), et inter somnum circa os risus convulsivus ludit. Nonnunquam rubor malarum insolitus una cum pulsu frequentiori morbum graviorem, quodcunque medicamen ut plurimum eludentem, prodit 2). Malo in deterius ruente facies macie conficitur, pallescit, nasus acuminatur, labia tumet et saturate rubent, dum angulos eorum ulcuscula defoedant 3). In seriori stadio facies apparet coelialgica 4): aspectus languidus dolorem moerorem, terrorem aut anxietatem et animum fractum prae se fert, maxime, si premas abdomen ubi acuti quoddam faciei, convulsis musculis, inest. Frons, palpebrae nasusque rugis obsidentur, gena introrsus aut nasi basin versus contrahitur, et anguli curvati distinctissimi ab alis narium violenter sursum motis oblique deorsum ad oris angulos vergunt; nares latissime hiant, labium superius elatum, inferius paulum mento appropinquatum conspicitur, ut dentes denudentur, in mentoque foveola appareat. Facies integra collapsa saepe sulcis profundis obtegatur. Oculus aut ictu torvo intentove

---

1) De Salle l. c.

2) Pezzold de prognosi in febribus acutis. Ed. 2. Eips. 1778. §. 48.

3) Pemberton a treatise on some diseases of the abdominal viscera. London, 1813.

4) Schmalz. l. c. p. 113,



una in re demoratur, quasi profunde meditantis, quibuscunque aliis neglectis, forsitan etiam sui conscientia deficiente, aut tenebricosi obnubilatique, aut perclari aliquid spectandum praebet, ictum mittens inquietum, moeroris plenum, dum facies lurida, maculis plumbeis conspersa pallet, et marginem labiorum ex cyaneo subnigrum, genas saepe rubedine levi suffusas visui offert 1). — Majorem jam timorem facies, gangraena imminente, depingit, ubi simul seni similior aegrotus videtur 2).

---

Facies hominum abdominis morbis chronicis laborantium flavescentem, lividam, luridamve se offert, aut rubore violaceo conspergitur, qui venis faciei dilatatis producitur, facillime a laetiore illo plerumque in genis nasoque potatorum conspiciendo aut ab atropurpureo sanguinis a capite refluxu impedito affectorum discernendus. Flavedo ista solito universa in facie apparet, vel oris angulos, nasum regionemque oculorum nonnisi suffundit, ac flavedine conjunctivae oculi tantum a colore flavo multarum Chloroticarum distinguitur. Oculi, cingulo coeruleo circumdati obtutus languet ac meditans tristisque est. Palpebrarum margines colore subfusco inficiuntur, praesertim ad oculorum angulos; labia laxa, adipe

---

1) Schmalz. I. c.

2) Pemberton. I. c.

carentia pallent. Linea nasalis plerumque invenitur.

---

Sed jam, quae scripsi pauca, sufficiant, ne opusculi limites praepositos transgrediar. In posterum, si Deus optimus velit, de faciei in cachexiis, dyscrasiis, febribus mutatione quaedam in medium proferam. Eousque, lector benevole, vale!

---



## Curriculum vitae

ex decreto Gratosi Medicorum Ordinis adjectum.

---

**E**go, ISAACUS KOPPEL, fidem confessus Mosaicam, Warendorpie Guestphalorum, die decimo octavo M. Februarii anni MDCCCVIII natus sum, patre gavisus Adolpho Abrahamo Koppel, matre Bertha, e gente Elzbacher, utroque colendo mihi superstitite. Primis literarum rudimentis imbutus Gymnasium Monasterii sub dignissimi Nadermann regimine florens adii, per sexque annos frequentavi, quorum post decursam, examine ad stabiliendam maturitatem abituri feliciter superato, almae Academiae Monasteriensis civibus adscriptus anno MDCCCXXV, per annos duos sequentia frequentavi collegia: Facultatis philosophicae Cl. Rolink de physice experimentalis; Cl. ab Boenninghausen de botanice, cujus et excursionum aemulus participes fui; Cl. Bodde de diatetice, chemia, materia medica. — Instituti regii medico-chirurgici, egregio Wutzer moderati: beati Zumbinke de osteologia et syndesmologia; Cl. Wutzer de anatomia generali et speciali, chirurgia, arteque fascias applicandi; Cl. Haindorf de physiologia; Cl. Busch



de pathologia generali specialique, nec non therapia. — In arte sectionis cadaverum beat. Zumbinke me erudivit. — M. Majo anni MDCCCXXVII universitatem literariam Fridericam Guilelmam Rhenanam petii, a viroque t. t. Rectore Cl. Noeggerath literas testes inscripti in Album Academiae nominis recepi, et apud t. t. Decanum facultatis med. Ill. Nasse nomen confessus sum. Duorum annorum sub decursu inclytos hosce viros disserentes audiui: Cl. Noeggerath de mineralogia; Cl. Brandis de logice et psychologia; Cl. Goldfufs de zoologia; Ill. Harless de materia medica, ac syphilidoclinice; Cl. E. Bischof de formulari; Cl. Müller de physiologia; Ill. Nasse de pathologia et therapia speciali, nec non generali, ac psychiatrice; Ill. a Walther de chirurgia, aciurgia, arte ligandarum fasciarum, doctrina de fracturis ossium et luxationibus, atque ophthalmiatrice; Cl. Kilian de arte obstetricia, aciurgiaque obstetricia; Cl. Mayer de anatomia; Cl. Naumann de morbis infantum. — Cl. Nees ab Esenbeck excursionibus botanicis haud defui.

Exercitationum clinicarum et policlinicarum chirurgicarum ducem Ill. a Walther habui; Clinico et policlinico medico-pathologico ac therapeutico Ill. Nasse duce per annum interfui.

Bonna dein relictam ad almam Musarum sedem Berolinensem profectus, IX. M. Maji die anni MDCCCXXIX a t. t. Rectore Magn. Cl. Klenze civibus academicis adscriptus et a facultatis med. Decano spectabilissimo Ill. Bartels in facultatis



Album relatus sum. Ab eo inde tempore Cel. Jüngken chirurgiam, Cel. Hermbstaedt pharmaciam frequentavi. Ill. Rust duce Clinicum Caritatis chirurgicum, et policlinicum practicando adii. — Hisce omnibus viris praeclarissimis quantum debeam, ad cineres usque nunquam obliviscar.

Jam, Tentamine philosophico medicoque nec non examine riguroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina atque chirurgia honores mihi concedantur. —

---

## T h e s e s.

---

1.

**R**ubeolae nequaquam Scarlatinae, sed potius Morbillorum sistunt varietatem.

2.

Chemismus organicus omni jure statui potest, sed arctioribus finibus circumscriptus.

3.

Civialis, calculi vesicalis frangendi, methodus summum sibi expostulat respectum.

4.

Opium omnes se- ac excretiones movet.

---















